



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

CCCXXVIII. Kirchenordnung der Brandenburger Synode, vom 7. Mai 1380.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

Siden van uns unverdacht sin, dat Recht lude, to welk unfern dat to lude. Vortmer so wil wi unde scholen egenante Provest, Prior unde dat gantze Capittel des Godeshufes to Brandenburg dy Ratmanne unde Borger der Nienstat to Brandenburg an oren Rechte nicht hindern odir krenken. In der selven Wis en wil wi oder scholen egenante Ratmanne und Borger der Nienstat to Brandenburg den egenanten Provest, Prior unde dat Godeshus to Brandenburg an oren Rechte nicht hindern oder krenken. To eyner ewigen Blifungen unde Dechnisse alle desir vorbescriven Stukken, so hebbe wie egenanten Provest, Prior unde dat gantze Capittel des Godeshufes to Brandenburg an eyner Side unde wi egenanten Ratmanne, alt unde nie, der Nienstat to Brandenburg an der anderen Siden gewilkoret: Weres, dat unsir jennig der vorgescreven Stukke jennig breke oder nicht enhilde, alle hir vorgescreven steyt, dy sehal dy Sake to vorne verloren hebben unde sehal deme anderen geven virtich Mark Brandenb. Silweres unde Wichtes. Vortmer wi egenante Provest, Prior unde dat gantze Capittel des Godeshufes to Brandenburg an der eyner Siden unde wi egenante Ratmanne und Borger der Nienstat to Brandenburg an der anderen Side, Wer nu Sake, dat eyn Mort gefchege, dar Got vor si, an welcher Side dy Mort gefchege, dy sehal sin utgenomen unde eyn yderman sehal gebreken lines Rechten. Dat wi egenanten etc. Gegeben to Brandenburg nach des heyligen Cristus Bord drutteynhundert Jar in deme achtentichsten Jare an sente Agathen, der heyligen Junkvrowen Daghe.

Nach dem Original.

CCCXXVIII. Kirchenordnung der Brandenburger Synode, vom 7. Mai 1380.

1. De habitu extra divina officia, de tonsura et abstinentia.

Didericus, Dei gratia Brandenburger ecclesie Episcopus, universo clero nostre civitatis et diocesis, salutem et noticiam subscriptorum. Quoniam clericos et religiosos oportet per decenciam habitus extrinseci, morum intrinsecam ostendere honestatem, vobis districte mandamus, quatenus vestes ordini vestro congruentes, nimia brevitate vel longitate non notandas, publice deferatis, ad ipsas vestes pannis rubeis vel viridis non utendo; Coronam et tonsuram congrue habeatis. Nam, juxta statutum provinciale, secus facientibus nullum jus competit accipiendi fructus suorum beneficiorum, donec se fecerint debite tonsurari. A crapula et ebrietate abstineatis, que mentis inducunt exitium, libidinis provocant incentivum.

2. De habitu in divinis officiis, de continencia, de armis et negociacionibus.

Diligenter attendendum est quod legitur in Canone, mulier orans in ecclesia non velato capite deturpat caput suum. Ita sacerdos sine operimento, videlicet cappe vel superpellicii, sacerdotium suum. Ideoque mandamus, quod sacerdotes officia sacerdotalia exercentes, ut cum divina officia in ecclesiis decantant aut extra ecclesiam sacramenta ministrant, sint illa superpellicii hora, nec eadem hora pilleis utantur nullo modo; per hoc sacerdos a laicis discernatur. Suspectas et inhonestas feminas in vestris domibus vel alibi non habeatis, quia notorius fornicator ac officio est suspensus: et arma non portetis. Negociacionibus, commerciis vel officiis clericali proposito non congruentibus minime insistatis.

3. De horis dicendis et residencia in beneficiis.

Quia propter officium datur beneficium, vobis universis in cathedrali et collegiatis ecclesiis beneficiatis districte precipimus, ut horis debitis devote et non sineopando, et in aliis ecclesiis et capellis,

convenienter et debite pensum vestre servitutis, septem scilicet horas Canonicas, matutinam, primam, tertiam, sextam, nonam, vespervas et completorium, missas et vigiliis, et alia officia consueta compleatis. Idem injungimus omnibus aliis clericis, et maxime in sacris ordinibus constitutis, quod quilibet in suo personaliter resideat beneficio, nec sese inde absentet peregrinationis causa, vel alia, absque nostra licentia per nostram litteram comprobanda. Quia juxta Canonum instituta sacrarum missarum celebrationes alibi fieri non debent quam in locis Deo consecratis, ideo vobis districte inhibemus, ne in ecclesiis vel altaribus non consecratis, seu cum calicibus, ampullis aut aliis vasibus aut quibuslibet indumentis ad divinum cultum spectantibus, per Episcopum non benedictis celebretis. In calicibus preparatione vino infuso sufficit apponi tres guttas aque. Caveatis ne vinum sit nimis acetosum, et si fuerit, uve exprimende vini habeant saporem, et non agrestem. Altare cooperiatur duabus palliis consecratis, super quas expandatur corporale de lineo panno nitido atque mundo.

4. De pluribus missis celebrandis.

Quia sufficit sacerdoti unam in die missam celebrare, et valde felix est qui eam digne celebret, ideo districte inhibemus, ne quis Sacerdos, die nativitate Christi excepta, aut alia rationabili causa et manifesta non urgente, plures in die quam unam missam audeat celebrare. Celebrans plures missas una die, oblationem prime missae non accipiat, sed minister. Sacerdos celebrans diligenter exprimat hec verba, Hoc est enim corpus meum, et ante eorum plenam prolationem non debet hostiam ad populum elevare. Similiter super calicem, hec verba attente dicat: Hic est enim calix sanguinis mei, novi et eterni testamenti, ministerium fidei, quod pro vobis et pro multis offertur in remissionem omnium peccatorum.

5. De baptismo et compaternitate.

Baptismus in aqua cum terna immersione, et nomine baptifandi expresso, celebretur in hac forma Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et eandem formam laicus utriusque sexus doceat, ut ea in necessitate per se utatur. Baptismus non debet iterari. De quo autem dubitatur an sit baptifatus, baptifetur sub hac forma, si baptifatus es, te non baptizo, sed si non es baptifatus, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Amen. In baptismo sufficit unus compater seu patrinus. Si tamen plures fuerint, omnes contrahunt cognationem spiritualem ad impediendum matrimonium contrahendum, et contractum dissolvendum efficacem: in viginti casibus videlicet, inter baptifatum et levantem, inter baptifatum et levantis filios, inter baptifatum et conjugem levantis prius cognitam, inter levantem et patrem et matrem levati, inter baptifatum et baptifantem, inter baptifatum et filios baptifantis, inter baptifatum et conjugem baptifantis prius cognitam, inter baptifantem et patrem et matrem baptifati

6. De confirmatione, compaternitate et crismate.

Similiter ratione confirmationis, inter confirmatum et eum qui tenet ipsum quando confirmatur, inter confirmatum et filios tenentis, inter confirmatum et conjugem tenentis prius cognitam, inter tenentem et patrem ac matrem confirmati, inter confirmatum et confirmantem, inter confirmatum et filios confirmantis, inter confirmatum et conjugem confirmantis prius cognitam, inter confirmantem et patrem ac matrem confirmati. Confirmacio non debet iterari. Parochiales autem vestros frequenter moneatis ad confirmationem recipiendam, quam adulti recipiant confessione premissa. Vetere crismate non utatur, sed novo si poterit expectari.

7. De compaternitate et matrimonio.

Compaternitas per Cathecismum contracta, matrimonium contrahendum impedit, sed non dirimit jam contractum.

8. De extrema unccione.

Extrema unccio potest iterari, et tocies quociens contingit eundem letaliter infirmari. Manus sacerdotum, tempore unccionis extreme, non sunt interius sed exterius liniende; cum tempore collationis sacerdotii interius liniantur. Pueri ante XII. annum, et impenitentes ac unccionem devote non petentes, non ungantur.

9. De custodia Eucharistie et aliorum sacrorum.

Corpus Christi, baptismus, crisma, oleum sanctum, oleum infirmorum, habeantur sub feris, in custodia diligenti.

10. De matrimonio et conjugatis.

Clandestina matrimonia districte inhibemus: Matrimonia vero contrahenda in facie ecclesie, termino interdicto Pretermisso, distinctis diebus et precipue Dominicis diebus cum populus convenire solet, copulentur, propter varia impedimenta, videlicet compaternitatis, confanguinitatis, voti solemniss, sacri ordinis, aut propter professionem religionis approbate, disparis cultus et justicie publice honestatis. Quamvis omni tempore possit fieri hujusmodi copulacio, per verba de presenti; tamen ab Adventu Domini, usque ad octavam Epiphanie, et a Septuagesima usque ad octavam Pasce, et a Dominica Vocem Jucunditatis usque ad octavam Pentecostes, sollempnitas nuptiarum, traduccio sponse et carnalis copula, non sunt faciende. Ignote persone, sine nostra aut officialis nostri licencia, minime copulentur. Neuter conjugum carnaliter commixtioni se tradat, nisi de alterius expressa voluntate. Neuter conjugum transeat ad secunda vota, nisi de morte alterius plene fuerit certificatus.

11. De confessione et generibus peccatorum.

Confessiones sanorum in ecclesia et loco patenti audiantur. Genera peccatorum, si necesse sit declarentur, maxime mortalium peccatorum, que sunt heresis, error in fide Christi, superbia, vana gloria, ipoerisis, ira, odium, inimicitia, invidia, transgressio fidei, perjurium, falsum testimonium, detraccio, delacio, mendacium, quod leditur vel dampnificatur proximus, infamacio proximi, fornicacio, defloracio virginum, adulterium, incestus, omnis libidinis effusio que non excusatur per matrimonium, crapula, ebrietas, frequentacio tabernarum, assidua frequentacio talorum et alearum, homicidium, mutilacio membrorum, omnis iracundia ex qua violenta manus procedit in proximum, furtum, rapina, depredacio, sacrilegium, fortilegium, incendium, usura, vendere carius ad alium, falsum pondus, falsa mensura, falsum iudicium, falsus advocatus, inobediencia Dominorum et Preceptorum, operacio prohibita in sollempnitatibus, retencio decimarum et oblacionum in consuetudine diuturnitatis et de pravo exemplo, De circumstanciis peccati, scilicet de loco, de tempore, de qualitate, de numero personarum in quibus et quorum auxilio perpetratum est peccatum.

12. In quibus penitentes ad Episcopum remittantur.

Pro pluribus supradictis peccatis sunt penitentes ad nos vel ad nostram potestatem habentes destinandi, scilicet pro homicidio, sacrilegio, fortilegio de Corpore Christi, crismate, oleo sancto, aqua baptismatis, vel aliis sacris rebus, pro falso testimonio, peccato sodomitico, vel contra naturam adulterio, incestu, defloracione virginum, venefica inieccione, in patrem vel matrem, vel in clericos vel religiosos leviter, pro voto fracto, perjurio publico, pro heresi, errore in fide Christi, et si pueros sine baptismo decedere aut infra septennium per negligenciam perire fecerint, pro raptu mulierum et absolucione ab excommunicatione a Canone sive jure, ut pro usura.

13. De penitencia, absolucione et confessione.

Caveant sacerdotes in penitenciis injungendis, ut eas secundum quantitatem culpe et possibilitatem penitentis injungant; alioquin quod nimis est ab eis requiratur. In furto, in rapina, in usura, in

quacunque illicita occupacione et retencione rei aliene, et in omni dampnificacione proximi, injungant restitutionem, prout amplius est possibilis; et loco restitutionis non injungant missas cantandas vel elemosinas faciendas, dum hii vel eorum heredes exstent, quibus de jure restitucio est facienda: Alioquin eos ad nos transmittant pro hujusmodi rebus disponendis. A peccatis quoque non absolvant qui peccata vitare aut penitentiam implere fideliter non promittit. Caveat omnino sacerdos, ne verbo vel signo prodat aliquomodo aliquatenus peccatorem, aut ei impropere, dicendo, scio qualis es; et si prudentiori consilio indigerit, illud absque ulla expressione persone caute requirat. Alioquin non solum est a sacerdotali officio deponendus, verum etiam ad agendam perpetuam penitentiam in arctum monasterium detrudendus. Diaconus confessionem non audiat, nisi in summa necessitate, quia non potest absolvere vel ligare nisi sacerdos rite ordinatus. Nullus sacerdos secularis vel religiosus alienam parrochiam a mortali peccato absolvat, nisi de licencia proprii sacerdotis vel superiorum ejusdem. Peregrini tamen transeuntes recipiantur ad confessionem, et absolvantur sub ea condicione, quod confessionem reiterent proprio sacerdoti, vel si licenciam habuerint proprii sacerdotis.

14. De excommunicatorum absolucione.

Ab excommunicacione superiorum nullus absolvatur nisi in mortis articulo, et secundum formam ecclesie, ut videlicet juret ad Corpus Christi, vel reliquias sanctorum, quod pro causis que tunc exprimentur, pro quibus excommunicatus est, velit mandatis ecclesie obedire: et si tunc ille obierit, ejus heredes sunt censura ecclesiastica ad faciendum compellendi.

15. De jejunio, festivacione et excommunicatis.

Precipiant quoque sacerdotes omnibus qui possunt observare jejunia quadragesime, quatuor temporum, vigiliarum, sexte ferie, jejunent: et quod festivis et dominicis diebus, ad vesperam a vespera, abstineant a labore; et iidem temporibus ad minus ecclesias suas accedant, pro divinis officiis et predicacionibus audiendis; et quod omni die de mane et vespere devote legant Pater Noster, ave Maria, et credo in Deum. Precipiant etiam sacerdotes excommunicatos in locucione, salutatione omnino et pro qualibet alia communione artius evitare, nec aqualiter protegi vel defendi.

16. De excommunicatis usque ad mortem, de communione Usurariorum, Raptorum et sepultura.

Qui excommunicacionem sustinent usque ad mortem, licet absolvantur, in sacro tamen loco non sepeliantur, nisi de nostra licencia speciali. Manifesti usurarii nec ad ultimam communionem, nec ad christianam sepulturam, si in hoc peccato decesserint, admittantur, et eorum oblationes nullus accipiat. Publicus raptor et incendiarius, donec penituerint, ab ecclesia et sacramentis repellantur. Qui vero acceperit, et christiane sepulture tradiderit, accepta reddat, et donec ad arbitrium nostrum satisfecerit, ab officio sit suspensus: etiam qui decesserit absque signis penitentiae, non sepeliatur, nisi de nostra licencia.

17. De ecclesiarum redditibus, campanis, ornamentis et patronis.

Possessiones et redditus ecclesiarum missilibus inscribantur; et libri, calices, campane et alia ecclesiarum ornamenta, Judeis a Christianis, sine nostra licencia, aut Prelati ad quem eedem ecclesie, in sua jurisdictione site, pleno jure pertinent, minime exponantur. Prohibeantur ecclesiarum patroni, et alii quilibet se intronittere de bonis et rebus decedencium clericorum. Alioquin ea vice presentacione sint privati, et ad Episcopum loci, juxta provinciale statutum, eo tempore devolvatur.

18. De Plebanis, Vicariis et eorum Ministris.

Vicarii Vicarios in ecclesiis non constituant. Nullus habeat plura beneficia, presertim curata, nisi super hoc legitima dispensacio sit habita, quam nobis infra mensem proximum precipimus exhiberi. Quilibet curatus habeat sigillum. In propriam nullus officiat ecclesiam a Patrono concessam, nisi per nos fuerit admittus curatus vel legitime investitus. Nullus presbiter deserviat in ecclesia cum patre presbi-

tero vel post ejus obitum ipsum immediate succedat in eadem. Nullus faciat ecclesiam censualem, vel augeat antiquam pensionem, aut minuat Rectoris portionem. Plebani et alii sacerdotes quicumque, raptas matronas seu ancillas suas nequaquam pro aliquo precio redimant. Contrarium facientes, sine dubio, impuniti non transibunt. Quilibet clericus clericos vel laicos utriusque sexus in servicio habens, eisdem solvere debet debitum precium in termino, ad quem se fecerunt convenire. Quod si ipsi servitores infra annum a tempore conducionis eorum computandum dari sibi non procuraverunt cum effectu, Nolumus successorem conducentis, post dictum conducionis annum, ad solvendum hujusmodi precium obligari; sed sibi impudent quod debitum precium sibi dari non procuraverunt in termino prefinito. Volumus etiam quod laici ad ministracionem divini officii et adjuvandum missas legere non assumantur.

19. De institucione, absentia, locacione et libris ecclesiarum, fidejussione, missa, questoribus, excommunicatis et sinodo.

Item statuimus, quod nullus intromittat se de quocunque beneficio ecclesiastico, sive curato, sive non curato nostre dioecesis, nisi per nos fuerit ad ipsum canonicè institutus: et quicumque dixerit se potestatem habere instituendi auctoritabiliter ad quodcunque tale beneficium, doceat hoc coram nobis ex nunc infra mensem. Volumus etiam ut omnes absentes a beneficiis suis, in ipsis infra mensem resideant proximum personaliter, vel infra hunc mensem se exhibeant coram nobis, nostras certas literas desuper datas ostendentes. Alioquin ipsos volumus sentencie excommunicacionis subiacere. Quod nemo locet ecclesiam suam, nisi in nostra presencia vel nostri officialis, et tantum ei quantum pro se posuerit de proventibus ecclesie assignet, unde possit congrue sustentari et nobis et aliis Prelatis suis de juribus debite respondere, et edificia reficere sue dotis. Item quod nullus libros ecclesie sue ferat de ecclesia ad dotem, vel ad aliam domum, ne sicut sepius fuit expertum, extra ecclesiam hujusmodi libri amittantur. Item quod nemo fidejubeat pro depaccionibus suorum ecclesie parochianorum, quemadmodum voluerit ordinis sui periculum evitare. Item quilibet semel in Septuagesima confiteatur ad minus idoneo confessori, et ad minus in septimana missam celebret sive legat. Et nemo de casibus nobis reservatis se intromittat, nisi nostram habeat auctoritatem. Item elemosinarum questores, nisi veras apostolicas vel nostras exhibeant literas, admitti inhibemus. Item caveat se quilibet ne sentencias excommunicacionis, suspencionis vel interdicti, rebelliter sustineat per annum vel ultra, quia talis suspectus de heresi est et ut hereticus persequendus: et hoc ipsum parochianis vestris intimetis. Item quod presentes nomina sua scribi faciant in Synodo, et absentes de contumacia sua, infra quindenam proxime sequentem, se expurgent: alioquin ab ingressu ecclesie extunc sunt suspensi.

20. De quibusdam festis transponendis.

Ad evitandum confusiones oriri solitas ex dissimili celebracione subscriptorum festorum, duximus presentibus ordinandum, quod quando dies cathedre sancti Petri Apostoli aut beati Mathie in die cinerum venerit, ibidem peragatur; et quando annus Bifextilis fuerit, vigilia Mathie in officio et jejuniis tertia die post festum beati Petri, et beati Mathie festum quarta die peragatur, juxta versus istos,

Bifextum sexte Martis tenuere Kalende,

Posteriori die celebratur festum Mathie,

Item quando dies annunciacionis beate Marie Virginis feria tertia, quarta vel quinta post Dominicam Letare venerit, ibidem celebretur. Et summa sinodus observetur in festo trinitatis. Quando vero idem festum annunciacionis in die vel in septimana Palmarum venerit, celebretur feria sexta precedente. Quando autem idem festum in die Pasce aut feria secunda, tertia vel quarta Paschalis septimane venerit, feria secunda post Dominicam Quasimodogeniti peragatur. Quando etiam dies beati Ambrosii vel dies sancti Georgii infra septimanas Palmarum vel Pasce venerit, feria sexta ante diem Palmarum

peragatur. Quando autem dies beati Marcy in die Pasce vel in sequenti septimana venerit, feria secunda post Quasimodogeniti peragatur: Et quando festum Corporis Christi in vigilia nativitatis Johannis Baptiste venerit, tunc officium et jejunium dicte vigilie fervetur in die precedente. Notandum quod quando aliquis numerus infra sequencium numerorum j. iij. vj. ix. xij. xv. xvij. aureus numerus fuerit, tunc festum annunciacionis beate Marie Virginis est transponendum, in aliis non.

21. Que festa usque ad meridiem et que per totum diem festiventur.

Hec festa cum cantu et celebracione usque ad meridiem peragentur, Ambrosii, Gregorii, Jeronimi, Augustini, Marci, Johannis ante Portam latinam, Johannis et Pauli, divisionis Apostolorum, exaltacionis sancte crucis, Luce Evangeliste, omnium animarum, sancte Elizabeth. Item et multi errores circa festivitatum celebraciones committuntur. Vnde mandamus quod festivitates infraascripte per anni circum sollemniter peragentur: Quatuor dies in nativitate Christi, totidem in Pasca, totidem in Pentecoste, festum circumscisionis, festum Epiphanie, commemoracio sancti Pauli, omnia festa beate Marie virginis, purificacionis, annunciacionis, visitacionis, assumpcionis, nativitatis et concepcionis: festum ascensionis, invencionis sancte crucis, Corporis Christi, singulorum Apostolorum, Johannis Baptiste, Marie Magdalene, Llaurentii, Mathei, Mauricii, Michaelis, omnium sanctorum, Martini, Nicolai, et Katerine; omnia festa beati Petri, quia patronus hujus ecclesie, videlicet, natalis, advincula et cathedra Antiochie. Ita prescripta festa precipimus per totum diem celebrari.

22. De plebanis, altaristis et cappellarum Rectoribus.

Didericus, Dei et apostolice sedis gracia Episcopus Brandeburgensis etc. Quoniam diuturna Rectorum ecclesiarum parrochialium nostre diocesis insinuacio et que est omnium rerum magistra nos docuit experientia, quod nonnulli capellarum et altarum Rectores in parrochialibus ecclesiis et infra earum limites in civitate nostra et diocesi altaria vel capellas habentes, se plus quam oportet preferentes, temporibus minus congruis, fatis inordinate, modo mane, modo tarde, ecclesiarum Rectoribus invitatis, contradicentibus et prohibentibus, in Rectorum ecclesiarum parrochialium impedimentum, lesionem et gravamen, missas in suis capellis vel altaribus, pro voluntatis arbitrio, cotidie fatagunt celebrare et quod deterius est, requisiti et rogati, ecclesiarum Rectoribus indigentibus seu necessitatem habentibus, cum missas cantando vel legendo, ac aliis quibuscumque actibus devotis, prout honestum fuerit et meritorium pro laude omnipotentis Dei et excitanda populi devocione celebrandis subvenire actenus contempserunt et contempnunt, ac se opposuerunt et opponunt; allegantes ex eo quod canonice in suis capellis et altaribus sunt instituti, non poterunt nec debent ad faciendum ea aliquatenus compelli vel astringi. Nos equanimitur perpendentes ex eo quod capellarum seu altarum Rectores, ad celebrandum divinum officium in suis capellis vel altaribus in parrochialibus ecclesiis et infra earum limites, in laudem omnipotentis Dei et divini cultus augmentum admittuntur cum reverencia et caritate et actenus sunt admissi, et quod Rectores ecclesiarum ipsis ab ecclesiis suis ecclesiastica tenentur ministrare sacramenta; ad impendendum eidem ecclesiarum Rectoribus reverencias et honores et graciaram acciones, non immerito videntur obnoxii et ascripti, hujusmodi diffencionum morbum pastoralis sollicitudine, antidoto nostre ordinacionis ac provisione evellere et elocare volentes, de Prelatorum nostrorum consilio statuimus, quod omnes et singuli cappellarum altariumque Rectores in ecclesiis parrochialibus et in ipsarum ecclesiarum civitatibus ac earum limitibus capellas aut altaria habentes seu earum vices gerentes, in laudem omnipotentis Dei, et excitandam, bonorum exemplorum exhibicione, populi devocionem, in festis processionum ecclesiarum Rectoribus assistere, et superpelliciis processioni interesse teneantur, in legendis missis temporibus congruis et oportunis.

Hauptst. I. Bd. VIII.

23. Item, de eodem.

Provida deliberatione addens, quod iidem capellarum et altarium Rectores, ecclesiarum parochialium Rectoribus, prout eis videbitur expedire, ad ipsorum beneplacitum, cessante contradiccione qualibet, cum reverencia debeant obedire et modis omnibus eisdem taliter se conformare ne missarum occasione ecclesiarum Rectores aut eorum vices gerentes, in offertoriis seu aliorum divinorum officiorum actibus impedimentum, gravamen aut lesionem aliquatenus paciantur.

24. Item, de eodem.

Insuper statuimus quod dicti capellarum et altarium Rectores, ob reverenciam ipsarum ecclesiarum, per quas ad agendum divinum officium actenus sunt admissi, ac quibus sunt salutis sacramenta susceperunt, digna compensatione servienda ab earum ecclesiarum Rectoribus rogati et requisiti duntaxat dum operis indigentia seu necessitas hoc postulaverit, cum missas legendo vel cantando, pro ipsorum ecclesiarum Rectorum voluntate, celebrandum cum diligencia teneantur humiliter subvenire, non obstantibus institutionibus Canonicis de eisdem capellis et altaribus per nos et antecessores nostros factis, per quas non potuimus juri ecclesiarum in aliquo derogare, que etiam in ecclesiarum commodum non dampnum sunt potius retorquende.

25. Item, de eodem.

Ceterum capellarum et altarium Rectores in castris et preurbibus, infra limites tamen parochialium ecclesiarum capellas vel altaria habentes, cum Dominos suos quos temptant abesse contigerit, vel si Dominos presentes non habuerint, et presertim cum causa necessitatis abfuerint, ad observacionem presentis statuti volumus obligari.

26. De penis inobediencium altaristarum et Rectorum capellarum.

Preterea, nos statuta hujusmodi irrefragabiliter permanere cupientes, omnes et singulos nostrarum civitatis et diocesis capellarum et altarium Rectores, qui statutis nostris contrarium facientes, punire non curaverint cum effectu, penam ab ingressu ecclesie suspensionis incurrere volumus ipso facto. Cujus relaxacionem nobis aut Prelato nostrarum civitatis et diocesis habenti jurisdictionem et institucionem Plebanorum seu Vicariorum parochialium ecclesiarum in quibus seu quarum limitibus hujusmodi capelle et altaria habentur, duntaxat reservamus, salvis aliis penis, que ad nostri vel dicti Prelati arbitrium sunt infligende, si ipsorum id exigerit protervitas, juxta personarum qualitatem et excessuum quantitatem. Datum Brandenburg in generali Sinodo, Anno Domini M^o.CCC^o.LXXX^o. feria quarta post Dominicam Letare Jerusalem.

Gerden, Stifts-Historie von Brandenburg S. 612—628.

CCCXXIX. Bischof Dietrich bestätigt die getroffenen Anordnungen über das Verhältniß, worin der Pfarrer zu Sachow die neuerrichtete Kirche zu Guten-Paaren mit curiren soll, am 21. Sept. 1380.

Nos Thidericus, dei et apostolice sedis gratia episcopus Brandenburgensis, litteras ordinationis inter honorabiles viros, dominos Hentzonem prepositum, Bertrammum priorem et capitulum nostre ecclesie Brandenburgensis et discretos viros Nicolaum Ronnebom, civem in Colne et Nicolaum et Balthazar, fratres dictos Parne, cives in Nowen, nostre dyocesis,